

R. P. HIERONYMI LAGOMARSINII

LITTERARUM

A. D.

CHRISTOPHORUM VARSAVIENSEM


EXEMPLUM,

Quibus judicium fertur de aliquot Locis
Operis inscripti

Noctium Sarmaticarum Vigilia,

Et typis Brunsbergensibus, & Varfaviensibus
anno 1751. editi

Editio secunda post Polonicam.



TRIDENTI,

Typis Joannis Baptistæ Monauni,
CUM PERMISSU SUPERIORUM.



HIERONYMUS LAGOMARSINIUS
CHRISTOPHORO
S U O S. D.



Ellem, aut tu minus multa proximis ad me litteris complexus esses, aut mihi plus otii ac facultatis ad rescribendum superpeteret. Nunc scito, tam multis me tum studiorum meorum occupationibus, tum animi, in hoc olim Ciceroniano, nunc nostro Tusculano, remissionibus teneri, ut ad omnia Epistolae tuae capita respondere hoc quidem tempore non possim. Habe nunc ad ea duo vel tria, quae prima posuisti. Reliquis, cum primum potero, satisfaciam.

Quod Varsaviam salvus & incolumis perveris, primum tibi tuisque, tum mihi etiam, gratulor. Neque vero, ex quo a nobis discessisti, ut id fieret, unquam Deum rogare destiti. Ac libenter quidem tibi itineris illius comes fuisset, quod istinc secundo Vistulae am-

fuit, illud a Plutarcho memoriae proditum; ad proximos conversus non tam stomachans, quam ridens dixisse dicitur: *ὦ ἄνδρες, ὡς γελοῖον ὑπατον ἔχομεν!* o viri, quam ridiculum consulem habemus! Mihi, si gravitatem illam antiquam meam aliquando posuisse deprehendar, ut nihil a Catonibus timendum sit, tamen verendum est, ne discipulis a me graecam linguam cavillandi occasionem praebeam; qui me adhuc severum potius, ac tantum non tetricum experti, si epistolae meae hilaritatem jocosque rescirent, fortasse, ut sunt Romani pueri valde dicaces, exclamarent: *ὦ παῖδες, ὡς γελοῖον διδασκαλόν ἔχομεν!* o pueri, quam ridiculum praeceptivum Patrem habemus!

Verum, ut aliquando joculari desinam, serio illud tibi, mi Christophore, mando, ut epistolam hanc meam omnino comprimam, atque adeo concerpas; si vis reliquas ejusdem argumenti meas ad te litteras pervenire. Vale, meque, ut facis, ama. E Tusculano prid. Kal. Octobr. die natali meo. An. CIO. IO. CC. LII.